



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET  
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||  
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

**Binsfeld, Peter**

**Avgvstae Trevirorum**

**VD16 B 5530**

Prima Conclusio. Sors diuisoria licita est.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41113**

Prima Conclusio. *Sortes diuisoria-  
litate est.*

Sic sentiunt communiter Doctores locis ci-  
tat. Quia quando partes sunt æquales, nec  
res diuidenda sine discordia potest diuidi,  
fortunæ locus datur ad dirimendas lites : Sic  
secundum leges in tribus iudicijs communi  
diuidendo, familiæ exercundæ, & finium re-  
gundorum, sortes admittuntur debitis serua-  
tis conditionibus. Sic Iudæi miserunt sortem  
super tunica inconsutili Christi, quæ non po-  
terat diuidi. Sic Appianus lib. 2. de bello ciuili  
narrat, post mortem Iulij Cæsaris, cùm essent  
discrepantes sententiæ in senatu, de remune-  
randis interfecto-ribus, statuit sortibus litem  
dirimendam. Sic etiam partes terræ Israëlitis  
per sortes distribuebatur. Num. 33. Iosue 15. Iosue  
lib. 5. antiquit. Iudaic. c. 3. Eadem est ratio  
de aliqua pœna subeunda, si contentio sit inter  
aliquos, quis soluere debeat, exemplo Ionæ. 1.  
cap. qui à facie domini fugiens sorte deprehē-  
sus est, & in mare deiectus. Seruandum autem  
in missione sortium, vt ius sit æquale partium,  
ne alicui præiudicium generetur, vt non mit-  
tantur sine causa, hoc enim vanum esset, sed  
quando consideratis circumstantijs rerum  
& personarum, prudentia dicat, litem, aut  
aliud negotium sorte dirimendum esse. Di-  
ctis casibus, ex Augustini sententiâ in Epist. 180.

ad Honoratum, annumerari potest, si inter ministros Ecclesiæ fieret disceptatio, qui eorum persecutionis tempore manere deberet, ne fuga esset omnium, & Ecclesia omninò relinqueretur, & qui fugere deberent, ut aliqui in futurum reseruantur pro Ecclesiæ utilitate, sorte lis finienda est. Idem possit esse casus, si tres aut quatuor tempore pestis curam haberent, & non omnes vellent periculum subire, nec etiam Ecclesiæ expediret. Mos autem capiendi sortes ex vrna, vel situla, vel hydria aquæ, antiquissimus est, ut patet ex illo Plauti in Cassina, ubi senem Virginis amatorem postquam id, quod cupiebat, à seruo impetrare non potuit, inducit ita loquentem:

*Intrò abi, at q̄ actutum uxorem huc euoca  
ante ades citò.*

*Et situlam huc tecum afferto cum aqua, &  
sortes.*

Secunda Conclusio. *In electionibus  
Ecclesiasticis non est licitum uti sortibus,*

**C**AP. Ecclesia vestra, de Sortileg. & can. Non statim. & cap. Non exemplo. 26. q. 2. & hæc est communis tam Theologorum quam Canonistarum sententia. Et ratio redditur, quia huiusmodi electiones Spiritus sancti